

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9208

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1165-1202]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri évêque de Bayeux notifie un différend entre l'abbaye de Savigny et Hugues Halbout à propos du domaine de Marie de Buceleio.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

D. Paris, BnF, n.a. lat. 1022, n° 243, p. 215-217. Copie du XXe siècle

Éditions principales

a. Dupuy Hubert, *Recueil des actes des évêques de Bayeux antérieurs à 1205*, Thèse, École des Chartes, 1970, 2 vol. (dactyl.), n° 107.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Baiocensi, n° XLVI)

Texte d'après D

Henricus Dei gracia Baiocensis episcopus fidelibus universis salutem. Pacis atque compositionis nos mediatores esse Deo placitum credimus et episcopali dignum officio unde compositionem inter abbatem Savigneii et Hugonem Halebot factam in presentia nostra, et futurorum noticiam transmittimus. Cum itaque prefatus abbas et Hugo super dominico Marie de Buceleio contenderent inter eos per partitionem facta compositio talis est, abbas Savigneii capitalem masuram ejusdem feodi habet et cum ea totam teneuram Guineberti ; Hugo autem habet in parte sua totam masuram ad Locerons ; terras autem reliquas ad prefatum dominicium pertinentes sic dividunt ut in loco uno, camporum facta particione abbas eligat, et Hugo facta particione camporum in alio loco eligat. De masura vero de Alnees quam herbertus Rualdus tenet que ad idem dominicum dicitur pertinere, concesserunt quod eam inter se equaliter dividunt si eam abbas vel Hugo vel ambo acquirere poterunt simul ; de reliquis etiam terris quod ad predictum dominicium Marie antiquitus creduntur pertinuisse inter eos constitutum est quod si terras illas poterunt acquirere ab hominibus qui eas injuste possident equaliter inter se eas dividunt. Ferie autem que est Intermontes quartam partem inter se dividunt et in tercio anno per ipsam Roberto patricio unum accipitum sore communiter solvent. Hugo autem Halebot quicquid habebit de predicto dominico Marie de abbate Savigneii tanquam domino suo tenebit et recognoscat, et hanc ei recognitionem faciet, unam scilicet acram de parte sua predictae terre dabit abbati et quod abbas habebit annis singulis de illa acra terre erit pro recognitione quam Hugo faciet. Si quis autem adversus abbatem calumpniam aliquam moverit de parte illa quam tenet de ipso sepedicto dominico, Hugo

adjuvabit abbatem in omnibus et si aliquid propter illam calumpniam dandum erit, abbas et Hugo communiter illud dabunt ; si autem Hugo de parte sua calumpniam sustinebit, idem faciet ei abbas Savigneii ; quicquid autem juris Hugo et Basiria uxor ejus que cognominatur Brita habebant in parte illa predicti dominici quam abbas retinet, pro Dei amore abbacie Savigneii quietum omnino et liberum in elemosinam perpetuam dimiserunt. Hec compositio et partitio ab abbate Savigneii et ab Hugone Halebot et prefata uxore sua concessa est, et propterea ut inconcussa permaneat sigillo nostro est munita. Testibus his, Nicolao priore de Plaissito, Petro et Stephano monachis de Savigneio, Bernardo canonico de Plessitio, magistro Ranulfo cancellario, Roberto Galeranno, Jordano archidiaconis, magistro Herberto de Bosahan, Henrico de Somug, Guillelmo, Roberto capellano, Joscelino clerico. His etiam omnibus presentibus predictus Hugo et uxor ejus Basaria in manu nostra affidaverunt quod suprascriptam conventionem omni tempore vite sue fideliter observarent.